UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modvs Frvctvose Celebrandi Missam

Giustinelli, Pietro
Belli, Domenico

München, 1649

Præfatio Venerabilibvs DD. Sodalibus Ecclesiasticis facta.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55294

Visual Library

PRÆFATIO VENERABILIBVS DD. Sodalibus Eccle-ſiaſticis facta.

ANno ſuperiore, DD. Sodales, ex Italico idiomate vos Latino ſum ore allocutus, eo fine, vt qua lectio vſus erat paucorum, eam juris facerem eſſe plurimorum. Nunc autem tametſi judicari queat illud, quod aliàs feci, eſſe ſatis, vel meo affectui, quo vobis obligor: vel veſtro conatui, quo ſanctitatem aſsiduiſsimè anhelatis, nihilominus ille maximus rei, quam molior modo, fructus, nec me à ſtudio, vos arctius devinciendi mihi, paſſus eſt prohiberi: neque vos ab vſu ſtudij

mei poterit refrenare. Vti igitur ſtrena ſuperioris commendatio erat hæc, ad ipsā amuſsim comparaſſe ſe diuino ſacrarum horarum officio, ſumma cum attentione cœlis perſoluendo; quo & eos prolixius ſibi demereatur Clericus, & plenius ſatisfaciat imperio Matris Eccleſiæ, & perfectius demitiget Iudicem Chriſtum: ita nunc dono omnium DEI donorum opulentiſsimo, compendio infinitæ bonitatis munificentiſsimo, vniuerſorum Eccleſiæ theſaurorum fonti inexhauſto (qui eſt Chriſtus in Euchariſtia) piè, rectè, fructuoſeque deſeruiendi, rationem atque induſtriam, affero & offero; eamque tam ardenti erga S. Miſſam affectione cupio commu-

mu-

municare, quam magna ſpiri-tus tum jactura, ſi omiſero, ſuo cunctos vos fructu fruſtrabor. Video enim (& elugens, & inhorrens, video) quàm curſim obiter à pleriſque, quàm perfunctoriè à permultis, quàm negligenter à nonnullis, hoc diviniſsimum munerum Dei munus tractetur, quaſi neſciatur; pene negligatur, quaſi minus curetur; certè non accuretur, quaſi fructus is non debeat ſeri, qui non & ſoleat meti, ô cæcas hominum mentes! ô luteos ſenſus! Hic ſalus vivo bibitur ex fonte; hic lux ex animato accipitur ſole; hic æterna vita è ſua ducitur vena: & auſit homo opus Domini facere negligenter! Id aliquando Friſis dolenda e-

ternum ἀβλεψίᾳ vel deſpexerunt, vel certè non attenderunt, donec anno D. 1220. tota panè Friſia ſubmerſa, & Anno D. 1273. ſupra centum millia Friſonum ſubmerſa ſunt. Ob ſimilem incuriam punitum eſſe, DEVM, plurimos malos homines, teſtantur maiores noſtri: alij enim à canibus deuorati, ab araneis impetiti, à cancro confecti, ouo ſuffocati, linguæ ſtupore, ſubitáque morte caſtigati; alij aliter, omnes prodigialiter. Videantur S. Cypr. Auguſt. epiſt. 23. Optat. Mil. Sozom. Cedren. Bredenbach. Baronius Anno 362. Thom. VVald. Ioan. Nauclerus, Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 8. In vita S. Bernard. lib. 1. & S.

En-

Engelb. M. Sigebert. de Rege adultero Lothario. Anno D. 870. & Baron. Anno 868. *Cuiuſmodi pœnæ, vt maximè graues, ita minimè mirandæ debent videri, cum videamus, bardos etiam aſinos SS. Euchariſtiam fuiſſe veneratos:* Anno Societ. lib. 2. 27. *ipſos mulos,* in vita S. Antonij Pad. *rudes oues,* in vita S. Franciſci & S. Coletæ, *ſtupidos boues,* Cæſarius. lib. 9. c. 7. *denique & apes,* Petr. Cluniac. Caniſ. Thom. Cantip. Bozius, &c. *Quas ob res, DD. Sodales, nos malis malorum docti, & contumacium pœnis territi, prolectati exemplis ouium & apium, inuitati dulciſſimo manna cibo Angelorum, Regem Chriſtum, etiam*

ſub nube ? DEVM, etiam in Vmbra colemus ? eam illi deferemus reuerentiam, quæ ſumma eſt : eam præparationem, quæ digna eſt : eam gratiarum actionem, quæ immortalis eſt.